



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Hæreticorum in eum & Societatem probra.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

hendens, sed præpostere anxius sum, aiebat, fundati sumus supra Petram. Ita temporum calamitates faciebat sibi virtutum segetem: Zeli que sancti cultro confixus quotidie in odorem suauitatis Hostia viuens immolabatur. Nec dissimularem apud Ferdinandum ipsum adeò contendisse in his, quæ interesse pietatis existimabat, vt ex illis demùm gratia tanta contra sentientium studium non nihil detritum sit.

*Hæreticorum  
sicut cum S. So.  
cietate probra.*

Non cessabant interim inuidiæ eius constantiæ gnari Hæretici (neque enim erat obscura) inuis vsque probris, ac maledictis eneruare, si possent, nominatim eius, & Iesuitarum autoritatem ac deformare famam. Martinus Kemnitius inter primos ea ætate fallaciarum architectos, primus quoque ferebat in linguæ intemperantia, & impudentissimè affingendis viro Dei criminibus quæ maximè inuentori ipsi conueniebant. Quæ tamen & vulgò spargebantur, & magnis sepe hominibus persuadebantur. At ea perpetuo ritibus suo in beneficij, lucrique numerum imitatorum Christi reponebat, Deoque grates agebat, qui eum hortem hanc suam ab illaudatis huiusmodi vituperari sineret. Nimirum Satanam ferre non

*ambrosius*

*possit*

posse tantum lucis in tenebris Germanicis. Timere regno suo, ideòque in odium omne conari trahere, quos infestos experiretur. Existimabat Præpositus Lainius optimam esse rationem maledicta eiusmodi refutandi illustrem rectè factorum constantiam, quemadmodum fideles olim Apostolorum Princeps alloquebatur: Sic est voluntas Dei, ut benefaciētes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Tamen, quia ad simplicium oculos longè positorum penetrare exempla vitæ non poterant, faciendum Canisio putavit, ut Germanico sermone modestam apologiam, nec apposito nomine suo, (quoniam erat commendanda societas) euulgaret: quod ille sedulò præstitit. Latinam autem subindè defensionem Iacobus Paiua natione Lusitanus doctam, ac piam emisit. Canisius in his, quas diximus, apud Cæsarem curis magnam ætatis partem Oeniponti egit: nec interim parcebat laboribus aliis, ad concionem non rarò dicens, ac domi (namque Collegium iam adolefcebat) forisque pietatem incendens. Aderant Oeniponti quinque Cæsaris filix virgines (Reginas vocabant) grandiorum ex iis, quarum duæ postea Florenti-

*Optima ratio  
refutandi ca-  
lumnias,*

*Canis. Remissio  
suo responder.*

*Additamenta  
eius laborum  
Oeniponti*